

vel consulum, & pro istis libris quadringentis expendet in Communi Alexandriae, & pro isto Comuni etiam faciet jurare bona fide dominum Vermum de Ceva Marchionem, & dominum Anricum de Pulzono, quod ratum, & firum teneant, & attendant per se, & per homines suos, sicut supradictum est, & sicut promisit, & juravit usque ad proximum S. Michaelem, excepto quod D. Anricus non debet emere domum in Alexandria si voluerit, & excepto quod D. Vermus de Ceva debet tantum dare in domo, & terra libras ducentum Papienses, & pro illis libris ducentum debet expendere in Communi Alexandriae, & pro ipso Comuni. Prædicta promisit, & juravit infrascriptus dominus Otho, quod ab hodie in antea non faciet concordiam, vel pactum aliquod cum Aquensibus sine voluntate totius Consilii, vel majoris Alexandriae campana collecti, & pro his omnibus attendendis, & observandis obligavit isti domino Opizzono nomine Communis Alexandriae stipulanti omnes rationes suas, & jura, quas, quæve habet, vel habere posset in dominum Delphinum, & in omnia bona, quæ sunt, vel fuerint, seu tenet ipse Delphinus marchio de Bosco, & si contravenerit, fecit finem, & liberationem in D. Opizzono de Ossa nomine Communis Alexandriae de omni jure, quod habet, vel habere posset in istum Delphinum, & bona ejus, quæ sunt, vel fuerint, seu tenet ipse Delphinus, & nominatim in castro, & villa, & curte, & jurisdictione Montisclari, & quod faciet dominum Anricum de Pulzono obligare totum, quod habet in castro, & villa de Bosco, & de Puzzolo, & jurisdictione, & hominibus istorum locorum, & bona fide faciet Petrum Marchionem de Pulzono generum suum obligare similiter ea, quæ habet in istis locis, sive castris, & villis de Bosco, & de Puzzolo, & faciet filios suos jurare, & homines a 14. annis supra, & a 70. infra bona fide, quod homines Alexandriae, & eorum bona communiter, & separatim custodient, & salvabunt, & auxilia præstabunt ubique in personis, & rebus, & hoc totum promisit, & juravit salva fidelitate Imperatoris, & salvo quod possit adjuvare Albenes domorum, & Januenses, & dominum Anricum patrem suum.

Viceversa dominus Opizzo de Ossa Alexandriae Potestas nomine Communis Alexandriae promisit isti domino Othoni de Carretto Marchioni suo nomine, & nomine istorum Marchionum stipulanti, istos adjuvare, custodire, defendere, & salvare, & eorum bona etiam, & terram suam, & homines eorum cum militibus, & peditibus nomine Communis Alexandriae, & pro Comuni, & cum expensis Communis Alexandriae, & quod Commune Alexandriae non consentiet, nec fieri permittet villam, vel locum a loco Bistagni superius, & S. Stephani superius contra voluntatem istorum Marchionum, & si fieret, vel facta est, vel fuerit contra eorum voluntatem, dabit opem, & fortiam, & consilium, ut destruat. Item promisit quod Commune Alexandriae faciet guerram a domo sua omnibus hominibus, & locis, quibus ipsi Marchiones fecerint, & caput guerræ fuerit, & de ipsa non faciet pacem,

pactum, neque guerram recreutam sine voluntate ipsorum Marchionum, & faciet jurare homines de consilio, quod ita habent attendere, ut supra legitur, & nuncio communis in concione, & faciet jurare Potestatem, vel Consules futuri anni, quod ita habent attendere, & quod ipsi facient sequentes similiter jurare de cetero ratum, & futurum tenere, ut supra legitur. salva fidelitate Imperatoris, domini Dauphini de Bosco Marchionis, & domini Anrici, & Marchionum de Occimiano, & salva fidelitate Mediolanensium, & concordia Hastensium, Vercellensium, Januensium, & Casinensium, & Sacramenta debent renovari de decem in decem annis si utrique parti placuerit; & hæc concordia facta fuit præsentibus Ambaxiatoribus Alexandriae, qui cum Potestate erant, videlicet Oberto Natta, Rufino Scacavello, Oberto de Fantino, Vermo Lanzavetula, Joanne Plato, Rufino de Griffio, Joanne de Batono (1), Alberto Balbo, Clavario Communis Alexandriae, qui ibidem juraverunt hoc totum firum tenere, ut supra. Actum in isto loco feliciter.

Isti D. Opizzo Potestas Alexandriae, & D. Otho de Carretto Marchio, inde plura instrumenta ejusdem tenoris fieri rogaverunt, ut supra legitur, interfuerunt testes rogati D. Delphinus Marchio de Bosco, Obertus Canis, Ugo Frigidus, Durandus Vicecomes Ottonis de Carreto.

(1) Ita legit Schiavina, sed Ghilinus Gratone.

Confirmatio D. Villelmi marchionis Cevæ.

MCCII.

110

Anno Dominicæ Incarnationis MCCII., indictione V., die Mercurii 7. exeuntis aprilis (1) in Alexandria in pleno Concilio, D. Vermus de Ceva marchio promisit ec. ratam tenere ec. pactionem factam inter dominum Othonem de Carreto ex una parte, & ex altera dominum Opizzonem de Ossa Potestatem Alexandriae per se, & per homines suos excepto quod non teneatur contra Hastenses, & homines de Monte (2), & illos de Albingana, & illos, quos secrete dixit Potestati ec. & eodem die dominus Hugo filius domini Othonis de Carreto promisit ec. observare prout continetur in isto instrumento concordie ec. Interfuerunt testes rogati Simplex de Canellis, Manfredus de Solerio de Asta, Ambrosius Notarius de Mediolano, Vermus Burrus Judex, Albertus Balbus Clavarius Communis Alexandriae, Obertus Canis, Guido de Lintignano, Sivolto de Lanerio, Vermus Mastorcus, Anricus Simplex, Comes de Canellis, Jordanus de Aliano, Ser Sivolt. Petrus de Septemannis, Antonius de Caloxio, Albertus de Canellis, Ser Raimondus Lamerio, Bergognus Rizara ec.

(1) Ghilinus male vertit 25. aprilis, cum esset dies 24.

(2) Scilicet Montevico.

Appellatio Archipresbiteri S. Dalmatii ab Episcopo Papiensi ad S. Pontificem in causa Quargnenti.

MCCII.

111

Anno Dominicæ Incarnationis MCCII. die lunæ XIII. calendas junii, indictione V. in Papia supra